

ly antecedenter sumatur non separative, et præcisive, sed solum secundum se, ita quod essentia sumatur pro re subjecta existentiae, non reduplicando existentiam, sed specificando receptionem illius, sic distinguuntur existentia ab essentia, tamquam duæ realitates a parte rei inventæ, sub eadem existentia, quæ actuat essentiam, et reddit illam existentem non a se, sed per receptionem existentiae. Itaque ad distinctionem realem inter existentiam, et essentiam non requiritur quod consideretur essentia, ut separata, et remota ab existentia, sed sub illa, sicut materia antecedenter ad omnem formam naturaliter non existit, neque est aliquid, et tamen ex sua natura est entitas realiter distincta a forma. Et similiter res naturales corruptibiles v. g. homo, remotis accidentibus non existit, sed corrumpitur, et manet nihil, ergo quando subest accidentibus, seu dispositionibus non distinguitur realiter ab illis, hæc consequentia non valet. Quare inter purum nihil, et esse existens per propriam entitatem datur medium, scilicet esse existens per receptionem existentiae, et de se esse capacem habendi illam, et hæc capacitas non est nihil, quia nihil est incapax existendi cum opponatur illi contradictorie. Sed tamen ut sit actu aliquid requirit existentiam concomitanter, et sub illa existit non per identificationem cum existentia, sed per receptionem.

XXXI. Et cum instatur, quod non potest dari potentia receptiva existentiae, sicut aliorum accidentium, quia non supponitur existens, sicut supponitur ad accidentia recipienda, respondetur quod ut supra diximus ex Div. Thoma non solum potest dari potentia receptiva, quia jam existit, sed etiam receptiva ejus, quo existit, licet ad recipien-

dum accidentia per modum subjecti sustentantis illa in esse præsupponi debeat existentia in subjecto, quatenus subjectum debet habere esse simpliciter, ut sustentet esse accidentis secundum quid. Cæterum ad recipiendum existentiam ipsam, qua simpliciter constituitur in esse non requiritur, quod præcedat existentia, sed sufficit, quod recipiatur, et sic in re semper concomitetur potentiam receptivam dando illi existentiam non præsupponendo, quia ut jam diximus ratio recipiendi non est actualitas, et existentia subjecti, sed potentialitas, unde bene potest recipere ipsam existentiam qua res redditur realiter, et actu extra nihil, quia causalitas receptiva non petit existentiam præcedenter, sed concomitanter, ut realis sit. Et sic entitas creata non solum est in potentia objectiva, ut producat, sed etiam dum producit, producit autem, ut receptiva ipsius existentiae, qua constituitur in facto esse extra causas. Unde licet eadem res transeat de potentia objectiva ad actualem existentiam per productionem agentis, tamen hoc ipsum ponit aliquid in ipsa entitate distinctum quo redditur formaliter in facto esse, quia effectus iste formalis, et realis non est prædicatum essenziale, vel pars entitatis, sed aliquid ex productione agentis illis contingenter conveniens.

XXXII. Ad tertium respondetur non sufficere dependentiam, ut pura relatio est sine fundamento talis dependentiae, fundamentum autem non potest esse alia relatio præcise, nam hæc etiam alia fundamento indigeret, et sic in infinitum, sed deveniendum est ad aliquod absolutum, quod sit fundamentum. Hoc autem non potest esse ipsa essentia ut præcise dicit prædicata quidditativa, et essentielles connexiones, hæc enim sunt æternæ veritatis, id est,

necessariæ, nec tamen ab æterno fundant illam dependentiam ab agente, aut existentiam. Oportet ergo fundari hanc dependentiam in ipsa essentia, seu natura, ut immutatur, et patitur ab agente non solum in fieri, sed etiam in facto esse, quia semper perseverat illa dependentia, et consequenter fundamentum ejus, et talis immutatio intrinseca conveniens in facto esse ipsi essentiae vocatur existentia. Et præsertim, quia ut supra diximus existentia non est denominatio relativa, sed absoluta, et maxime ad se, existit enim unumquodque non ad alterum, sed in se, in tantum quod ipsa relatio existit sub conceptu in, non sub conceptu ad. Non ergo in sola dependentia relativa, sed in aliquo absoluto ponenda est existentia.

XXXIII. Ad quartum respondetur nullum inconveniens videri, quod inter essentiam, et existentiam detur relatio realis, sicut inter materiam, et formam, et licet verum sit, quod subjectum inhæSIONIS, in quo est talis relatio non sit sola materia seorsum, et sola forma, sed compositum, fundamentum tamen est materia, et forma, quæ etiam sunt extrema respicientiæ. Similiter non est relatio essentiae ad existentiam subjectata in essentia seorsum, aut in existentia seorsum, sed in ipsa re existente, extrema tamen, et fundamenta, inter quæ exercetur relatio realis sunt ipsa essentia, et existentia, nam ad fundandam relationem realem sive distinctionis, sive dissimilitudinis, sive proportionis, aut quamlibet aliam sufficit, quod essentia in re sit vere existens quamdiu subest existentiae, sicut materia respectu formæ, licet non sit existens se ipsa. Itaque hoc ipso quod existit sive per identificationem existentiae, sive per formalem receptionem capax est relationis realis etiam ad

ipsam existentiam, per quam redditur formaliter existens.

XXXIV. Ad quintum respondetur quod esse est effectus formalis formæ loquendo in genere, sed est duplex esse, aliud essentiae, aliud existentiae. Esse essentiae provenit a forma constituente naturam, et est effectus formalis ejus, quia non est aliud quam id quod in natura se habet per modum actus constituentis, et non potentiae. Esse autem existentiae est etiam effectus formalis formæ, sed non formæ constituentis; quæ est pars naturæ, sed formæ supervenientis naturæ ex participatione agentis, et hæc est existentia; et sic salvatur, quod omne esse est ab aliqua forma. Quamvis etiam addere possumus, quod existentia dupliciter consideratur, uno modo absolute ut præcise habet hunc effectum, qui est ponere rem extra causas, et sic esse existentiae non provenit ullo modo a forma constituente, sed solum ab existentia terminante. Alio modo consideratur existentia, ut limitata, et determinata ad talem speciem, puta quod sit existentia hominis, vel equi, et talem limitationem existentia habet a natura, cujus est existentia, participative. Ex hoc modo non inconvenit, quod esse existentiae, ut limitatum, et determinatum sit effectus formalis formæ secundario, et participativa, non tamen provenit ab ipsa forma secundum se, et absolute, sed subest productioni agentis, et ab ipso accipit existentiam.

XXXV. Et ex his manet responsum ad ea, quæ ponuntur circa receptionem existentiae in essentia, et compositionem cum ipsa, etc. Ad receptionem enim non requiritur, quod præcedat existentia in recipiente, sed quod recipiendo existat, quia ab ipsa forma recepta habet primum esse, et sic sufficit existentia concomitans, et sufficit, quod sit

ipsi recipienti collata per formam distinctam a se non identificatam cum ipsa. Similiter ad componendum non requiritur, quod extrema componentia habeant distinctam existentiam unumquodque suam, sufficit enim, quod existant in re, et actu sint extra causas, sive id habeant unica, sive pluribus existentibus, imo sicut unica subsistentia sufficit pro omnibus partibus compositi, ita sufficit unica existentia, ut dicemus articulo sequenti. Similiter ad terminandam generationem non requiritur, quod seorsum essentia terminet, et seorsum existentia, sed essentia terminat generationem, ut subjecta, existentia. Nam existentia non est res producta ut quod, sed est id quo essentia redditur producta, et posita extra causas in facto esse. Unde essentia non terminat generationem, nisi in quantum subicitur existentia. Non tamen ex hoc sequitur, quod sit eadem realitas essentia, et existentia, tum quia eadem actione possunt attingi plures realitates quando pertinent ad eundem terminum, sicut materia, et forma eadem creatione possunt produci, et natura cum suis accidentibus, seu passionibus, et corpus cum suis partibus quantitativis, aut animal cum suis organicis: tum etiam quia quando producitur res aliqua, potest impediri ne resultet propria existentia communicando illi existentiam divinæ Personæ, sicut sentit D. Thomas factum in humanitate Christi, quod est sufficiens signum, ut dicamus esse diversam realitatem licet productam eadem actione, quia quoad istam partem potest impediri.

XXXVI. Ad argumenta, quæ apud Cajetanum proponuntur ex dictis manet responsum. Dicimus enim quod essentia remota existentia est nihil, sed sub illa est aliquid, recipiendo esse per illam non per iden-

tificationem cum illa. Itaque est medium inter esse nihil, et esse aliquid per identificationem existens, scilicet esse existens per receptionem. Quod vero dicitur etiam ipsam existentiam esse indifferentem, ut sit vel non sit cum sit entitas creata, respondetur existentiam non esse indifferentem ad existendum ut quo, et formaliter cum in se non sit aliud, quam ratio ipsa, et actualitas præbens formaliter esse, potest tamen desinere esse denominative, et ut quod, quatenus desinente natura, cujus est existentia etiam ipsa realitas existentia non manet. Non tamen propterea exigit aliam existentiam sibi superadditam, ut existat, quia per se ipsam est sufficiens ratio reddens existentem naturam, et consequenter se ipsam quamdiu natura per ipsam dependenter ab agente existit. Quod vero objicitur de compositione jam responsum est, quod ista compositio fit ex essentia, et existentia, non quidem ex essentia in statu objectivo, neque ex essentia identificante sibi existentiam, sed recipiente illam dum producitur, et conjungitur illi. Unde illud tertium quod resultat non indiget distincta existentia, quia non est entitas distincta ab ipsa essentia et existentia, imo hoc ipso quod includit existentiam naturæ, includit existentiam illius tertii quod resultat ex natura, et existentia, si quidem resultat ex ipsa existentia, et sic non amplius requirit, ut sit existens.

XXXVII. Tandem objicies ad probandum existentiam non esse realitatem superadditam essentia: Nam hoc non est generale omni enti, modus enim non potest habere existentiam, quæ sit realitas, sic enim esset major re existente. Similiter accidentia non apparet quomodo actuali possint ab illa realitate a se distincta, et quia alias æqualis entitatis

esset existentia, et entitas cujus est existentia. Denique, in substantiis existentia non potest esse realitas, quia sic indigeret unione ad substantiam, quæ redditur existens, quæ unio non potest esse inhærentia cum non sit accidens, nec unio substantialis, cum non constituat substantiam, sed constitutæ adveniat. Et de ipsa unione si est substantialis, rursus est difficultas, quomodo redditur existens, et de ipsa existentia redit difficultas quomodo unitur, et sic in infinitum. Confirmatur, quia si existentia esset realiter distincta ab essentia, posset divinitus conservari a Deo sine essentia, id enim est proprium eorum, quæ realiter distinguuntur, hoc autem est impossibile, sic enim dari posset existentia sine limitata specificatione, quam ab essentia haurit, sicut non potest existere figura sine quantitate. Imo ex hoc videtur existentia modum importare non realitatem; quia per illam non aliqua natura constituitur, sed constituta in statu ponitur, scilicet extra causas, status autem ad modum pertinet, nec est necesse multiplicare entitates sine causa.

XXXVIII. Respondetur quod secundum mentem s. doctoris quodlibet IX, articulo III fatendum est in accidentibus dari distinctum esse, seu existentiam ab existentia substantiali quia accidens non pertinet ad unitatem per se substantiæ, et consequenter, nec ad esse ejus, quia unitas existentia sequitur unitatem entis, perfectam et terminatam: licet verum sit, quod ut ibi advertit S. Thomas esse accidentale non conveniat ipsi accidenti, ut quod, sed ut quo, supposito autem convenit illud esse accidentale, ut principio quod, et ut habenti illud. Igitur existentia realitatem dicit accommodatam rei existenti, si enim est modus solum existentia ex illo re-

sultans in subjecto modalis est, si res est, nihil vetat resultare existentiam quæ sit realitas. Et quando resultat ex accidente reali, illa existentia ut specifica, et limitata ab accidenti, imperfectior illo est, ex genere vero actualitatis suæ, perfectior, ut articulo sequenti dicitur. De existentia vero substantiæ dicimus, realitatem ejus uniri essentia, id enim non est difficile intelligere, cum subsistentiam Verbi uniri substantiæ humanæ constat, et existentiam etiam in opinione Div. Thomæ. Quid ergo mirum, quod existentia creata, quæ est realitas uniatur, non ut forma substantialis, sed ut terminus actualitatis substantialis? Nec sequitur processus in infinitum etiam admissa unione, quæ sit modus, nam existentia hujusmodi cum sit modalis, non distincta unione unietur, sed ut modus conjungetur, non ut realitas, quia modi existentia est.

XXXIX. Ad confirmationem respondetur, aliquos id admittere, quod existentia possit sine essentia conservari. Sed hoc difficile capitur, est enim existentia constituens rem productam in facto esse, non potest autem intelligi productum in facto esse, et nihil per illud esse productum, separata enim existentia, nullam rem reddit productam. Dicimus ergo non omnem realitatem posse separari ab alia, sicut in sententia Div. Thomæ materia non potest separari ab omni forma, nec relatio dari sine termino, visio sine objecto, licet ab illis distinguantur realiter. Itaque quando realitas aliqua habet dependentiam essentialem in actualitate, vel specificatione sua ab alio realiter distincto, non potest sine illo conservari, sicut materia in participando actualitatem ultimam, quæ est existentia dependet ab intermedia, quæ est forma, et existentia in sui specificatione de-

pendet a natura, et forma, sine limitatione autem, et specificatione determinata non potest determinate existere in rerum natura. Ad id, quod dicitur, existentiam pertinere ad statum, et modum, jam supra diximus non pertinere ad statum modificantem realitatem, sed constituentem realitatem in esse, et primo ac per se distinguentem illam ab eo, quod est nihil, et intra causas, et sic potius præbet realitatem primam, quam realitatis modum.

## ARTICULUS IV.

*An existentia sit unica, et indivisibilis in toto, et perfectior ipsa natura?*

Affines sunt istæ duæ difficultates, et inter se connexæ, an existentia indivisibiliter conveniat toti, et an sit actus ipsius suppositi, et mediante illo conveniat naturæ: indeque patebit via ad resolvendum, an existentia sit perfectior in ratione actualitatis, quam essentia?

## EXISTENTIA EST INDIVISIBILIS.

I. Eadem fere ratione procedendum est in hac parte, qua supra tractando de subsistentia. Sensus enim est, quod existentia conveniens composito habenti partes non conflatur ex partialibus existentibus sed ipsa unica existens immediate convenit composito, et mediante eo partibus, ex quibus conflatur. Sumitur ex div. Thoma 1-2, quæst. iv, art. v ad ii, ubi inquit: « Quod esse totius non est alicujus suarum partium, unde vel pars omnino desinit destructo toto, vel si remanet, habet aliud esse in actu, sicut pars lineæ habet aliud, quam tota linea, sed animæ humanæ remanet esse compositi post corporis destructionem,

et hoc ideo, quia idem est esse formæ, et materiæ, et hoc idem est esse compositi. » Idem docet in locis in quibus affirmat per partes advenientes non advenire novum esse, sed esse totius eis communicari, ut in iii p. quæst. xvii, ar. ii et in ii, dist. i, quæst. ii, art. iv ad ii.

II. Hoc autem dupliciter potest intelligi. Uno modo, quod existentia unica sufficiat pro toto composito, sicut una forma substantialis sufficit pro toto composito, et ejus partibus, licet forma illa per accidens reddatur divisibilis informando partes totius, non tamen per hoc, quod in diversis partibus sint diversæ formæ, ex quibus componatur forma totius, nisi solum per accidens, et eo modo quo formæ convenit habere partes. Alio modo potest intelligi, quod existentia sit unica in composito, et indivisibilis in informando, quia non æque respicit totum, et partes, sed unitatem totius immediate respicit, partes vero non absolute ut partes sunt, sed ut requiruntur ad unitatem totius. Et talis forma licet rei divisibili communicetur, scilicet ipsi composito, et ejus partibus, non tamen est divisibilis formaliter, sed virtualiter, quia communicatur composito sub ratione indivisibili scilicet sub ratione ultimi termini, et unitatis totius, licet rei divisibili communicetur. Et hac ratione in libris de anima, q. ii, art. i, distinximus in formis viventium quasdam esse divisibiles, quasdam indivisibiles solum ex diverso modo, et ratione informandi, licet enim utraque forma tam divisibilis, quam indivisibilis communicetur partibus divisibilibus, tamen quædam formæ communicantur per informationem divisibilem, quæ tunc accedit quando æquo modo respicit partes, ac totum, sicut in homogeneis. Aliquando vero forma indivisibili modo informat licet omnes par-

tes attingat, et eis participetur, quia videlicet sub ratione indivisibili respicit plures partes, quatenus vel plures partes requirit per modum unius dispositionis sicut forma viventis, quæ respicit corpus, ut organicum ad hoc ut informet illud, vel quia respicit per modum ultimi termini omnes partes, ratio autem ultimi, indivisibilis est licet dicatur virtualiter divisibilis, quia sub illa ratione indivisibili communicatur partibus, non tamen est formaliter divisibilis, quia non componitur, et conflatur ex multis partibus, sicut terminus lineæ terminat omnes partes lineæ, et forma ignis requirit octo gradus caloris pro dispositione, nec tamen in quatuor gradibus media forma invenitur.

III. Quare dicendum est, quod existentia in rebus compositis, et unica est, et indivisibilis eo modo quo formæ indivisibiles dicuntur ex modo indivisibili informandi, licet virtualiter divisibilis sit, quatenus reddendo compositum existens omnes partes ex quibus constituitur actualat, et attingit. Et ratio est eadem qua supra articulo secundo probavimus subsistentiam esse unicam in toto composito, et non conflari, neque componi ex partialibus subsistentibus, et infra probavimus existentiam esse proprium actum suppositi, et non dari partiales existentias ex quibus conflatur existentia totius. Hoc autem non est difficile intelligere supposito, eo quod jam probavimus articulo præcedenti quod existentia non identificatur cum entitate, sed supervenit entitati constitutæ ponendo illam extra causas, et consequenter se habet tamquam terminus ultimus, et totalis ipsius actualitatis totius, quia illud ultimate ponit extra causas. Itaque, quod existentia sit unica in toto composito in eo fundatur, quia partes, ut partes sunt non existunt existentia

partiali, sed existentia totius, quia nulla productio sistit in partibus, ut partes sunt, sed in aliquo toto, sive perfecto, sive imperfecto. Quod patet manifeste, quia partes, ut partes sunt non producuntur, nisi ut tendunt ad totum, ipsumque perficiunt, hoc enim est habere se ut partes, non sistere in se, sed in toto, ergo implicat productionem aliquam respicere partem, ut partem, et ibi sistere. Quod si non producantur partes in aliquo toto, sed separatim ab illo, hoc ipso per separationem desinunt esse partes, et fit totum, ergo nulla productio terminatur in facto esse, nisi in aliquo toto, licet contingat produci diversas res totales, ex quibus rursus aliud totum constituitur, et respectu illius ultimi totius, priores productiones partiales vocantur: re tamen vero quando fiunt, totales sunt in suo ordine. Existentia autem non sequitur productionem, nisi in facto esse, si quidem ejus effectus formalis est constituere rem extra causas in facto esse; ergo ibi solum datur existentia ubi sistit productio in facto esse; sistit autem in aliquo toto, et non in partibus, ut partes sunt; ergo non dantur partiales existentia, nec multiplicantur juxta multiplicationem partium, sed in quolibet toto sufficit unica existentia pro ipso, et partibus ejus, ut statim infra magis explicabitur.

IV. Quod vero sit indivisibilis in ipso modo informandi, ex hoc ipso deducitur, quia existentia non ex æquo respicit partes, ac totum, sed immediate, et per se ipsum totum per modum unius integri producti, quod in facto esse ponitur extra causas, partes autem ponit extra causas in quantum continentur in ipso toto, et in quantum pertinent ad ejus unitatem, et communicationem, quia ut dictum est existentia non identificatur cum ipsa entitate